

1517

P O L E M I C I .

1518

vertis de passer dans les pays étrangers, et aux Refugés de venir en France sans sa permission. Fait à Fontainebleau le 18. Sept. 1713.
Addit: Avec une très humble et très respectueuse Remontrance à S. M. sur divers inconveniens, qui en résultent. Verum, quamvis superfluisse charta, non comparet haec Remonstratio, sicutumque Somnia infelicis Herois aestuantis angusto limite mundi, de quo, qui tradidere, non satis adverterunt ad ea, quae circa Sacra moliebatur. Qui plura de eo volet, adeat Codices inter Recentiores Bibl. Palat. Numeris 1392—94. item 1405—6. signatos, ejusque Diarium ab a. 1698—1716. complexos; me enim jam hujusmodi nigarum taedet.

DCLIII.

R. 86 Codex chartaceus germ. Sec. XVIII. Folior. 312. f. ab Homine rudi et fanatico conscribillus referri vix meretur. Utrumque vel Titulus docet: *Treii herzlig vormanung zur auff Mundierung an alle Podentaten der Chriſten Welt keitſer kinige fürſten und beerenn burgameiſter und radt und Wehr das ſchwerdt der oberkeuldt in der handt bat daß ſij doch in die Welt ſechen wie es iherrem anbt gemäßiſt und den El lendten zustandt der kürchen Chriſti die nun mehr under dess theufels und der bözen macht und gewaldt geraden iſt wider raden und halffen &c. Titulo subscriptum: Denis Codd. Theol. V. II. P. II.*

1702. den 14. tags diſes iahrs. In Praefatione praeter hanc Exhortationem promittit Descriptionem Regni Diaboli, Sagarum et Antichristi, Iter Italicum, et Fata sua. Ait ſibi opus fore viginti annis ad scripta ſua perficienda, ut Job. Calvino ad suas *Institutiones Relig. Christ.* obſervaturque recenſior ejus manus, qua Operi jam descripto fol. 3. p. 2. adjecit: Magni quidem ſe feciſſe Biblia; verum mutaffe nunc mentem, comperto, multa ab iis promitti, nihil vero praefati. Sed apage blaſphemiam! Praefationi ſubjunctae ſunt temerariae et insanae Epistolae ad Fridericū III. Elect. Brandeb. ad Episcopum Curiensem, ad Rudlingerum quendam Ecclesiasten Tigurinum et Job. Bellum Norimbergens. Atque his ſubditum comparet nomen Autoris: *Alexander Peer zu thußis in bündt.* Igitur Tuscianensis Griso fuit, cuius Lernam profoundius intrare pudet, piagetque.

DCLIV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 1064 XIV. Folior. nunc 124. 4. maj. per duas columnas usque ad fol. 9. ab una, deinceps ab altera, eaque elegantiore manu scriptus et rubricis distinctus continent I. Marſili Menandrini, melius Mainardini a Patria Patavini Opus pro Imperatoribus contra Pontifices insignitum *Defensor Pacis* circa an. 1324. cuius bina Exemplaria jam protuli Vol. I. P. 2. col. 2057. Cc et

1519

C O D I C E S

1520

et 2061. Atque praesens quidem cum priore illorum perfecte con-

gruit; itaque non est, cur ibi dicta repetam. Ad calcem legitur:

*Anno Trecenteno Milleno quarto vigeno
Defensor est iste perfectus festo Baptiste.
Tibi laus et gloria Christe.*

Unde, sive de absolutione, seu de descriptione Operis intelligas, Codici autoritas accedit.

II. fol. 117. *Incipit tractatus de translacione Imperij Editus ab Magistro Marsilio de Padua continens Duodecim capitula.* En, quo Codex supra citatos excellit. Tractatum hunc, cuius titulo postea etiam *Jordanus Osnabrug. Flacius Illyr. et Card. Bellarminus usi sunt*, post *Flacium, Schardium et Goldastum* edidit *Edw. Brown T. II. seu Append. Fasiculi Rer. expetend. et fugiendar. Lond. 1690. p. 55. f. quae Editio collatione cum Exemplo praesenti non uno loco perfici posset.* Ita statim in praevio Elencho, ubi *Brownius tantum: Qualiter Romanum Imperium per 33. Imperatores permanit*; Noster legit: *Qualiter Romanum Imperium per 33. Imperatores et 324. annos et quinque menses Rome sine mutatione permanit.* C. I. illi sic init: *Quoniam in eo, quem Defensorem Pacis habemus, tractatum fecimus — diximusque &c.* Nobis sic: *Quoniam autem in eo, quem Defensorem Pacis tractatum fecimus — diximus &c.* Et paullo post ille: *Et quia ejus scripturae in quibusdam nostra sententia dissonat, praesertim in quibus jura laesit imperii*

secundum sententiam propriam absque demonstratione sufficienti. Nos: Quamvis eius scripture in quibusdam Jura leserint Imperij — probacione sufficienti. Sunt tamen alia multa, in quibus melior est Browniana lectio, quam nostra.

III. fol. 122. *Incipit catalogus Imperatorum Romanorum usque ad nostra tempora.* Praefamen hujus Chronologiae ita incipit: *Postquam Julius cesar superato Pompeio et eo mortuo solus sibi dictaram et consulatum assumpsit ac omnē Imperium, repetitus est Rome mos, ut uni soli omnes obedi- rent.* Imperatores dividuntur in eos, qui *Rome prefuerunt*, quorum postremus ponitur *Tyberius Constantinus, in Imperatores Grecorum, usque ad Irenem, in Francos, qui prefuerunt Romano Imperio, ubi Ludwico Arnulphi Filio subnotatur: Hiis temporibus franci perdiderunt Imperium, quia nolebant adiuuare Romanam ecclesiam contra Saracenos, sed eam grauiter infestabant.* Et nota, quod usque ad primum Ottonem confuse imperatur. *Nam quidam in ytalia, quidam vero in Almania imperare ceperunt, ut subiecta docent.* Ponuntur ergo *Imperatores ytalie a Guidone Spoletano ad Berengarium IV. et Imperium Theotunicorum.*

1521

P O L E M I C I.

1522

rum ab Ottone I. usque ad Fridericum II. post quem excidit folium, ut adeo, in quo Imperatore desierit Chronologus noster, ne sciamus. Chronologum adpello; nihil enim fere praeter regiminis adfert annos. Sub Claudio Lucium (Pomp.) Melam historicum, sub Trajano Plinium Veronens. oratorem &c. claruisse ait. Denique ad Probum Martini Chronica citat, unde non ante finem Sec. XIII. scripsit.

IV. in membra Thecae posticae adglutinata habetur Fragmentum hac clausula miniata: *Epistola domini Friderici Imperatoris ad papam Explicit super depositione eiusdem. Est vero inter Petri de Vineis Epistolas L. I. prima a verbis: Non enim est hoc romani Pontificis, cui pasce dictum est oves meas &c. Cum videam, harum saepe inanum Declamationum Lectiones varias in Edit. Basili. 1740. admodum religiose annotatas esse, ego quoque partibus meis haud deero. Lego igitur om-*

ni prorsus solicitudine pro solatio. Item expediat principem pro expeditans. Item et est mirum pro et nec est mirum. Dein iacenti tunc temporis pro latenti. Denique semel parcere instanti et persepe pro insonti semel parcere saepe.

In Theca anteriore notatur: *Iustum librum emit M. Franciscus de Retza 1407. in die Gordiani et Epimachi pro 1. den. Wienn. qui valde caute legendus est, quoniam pocius offensor pacis quam defensor est. Emit autem pro Conventu Ord. sui, ut legitur fol. 121. Dux de Autore hoc Comestorii Vitiorum in Memorab. Bibl. Garrell. p. 35. et horum Commentar. Vol. I. P. 2. col. 1342. Paullo infra adscriptum: Frater Jacobus Hoochstraten. Cui Literatorum ignotum nomen? Verum, an hic eiusdem Ord. Praed. Vir unquam Viennam, an Codex noster ad Rhenum delatus fuerit, ignoro. Fortasse pro Inquisitoris munere nomen ei suum inscripsit. Vide de illo Scriptt. Ord. T. II. p. 67.*



Cc 2

CODI-